

nung und Wandel im Himmel / leben allda wie Bürger / ob wir gleich mit dem Leibe noch auff Erden sind / welcher denn hie in diesem Leben durch das Creuz und den zeitlichen Tod muß gepanzerfest werden. p. 1222. Conf. p. 1224. Similiter B. Dav. Chytraus L. de morte & vita æterna p. 175. 176. ad locum Joh. XVII, 3. *Cum visionis illius beate & lucis sempiternæ particeps nemo fiat, nisi Deum in hac vita fide agnoscere & intueri in verbo & testimoniis illustribus se patefacientem cœperit, ideo communem futuræ vitæ & inchoatione vitæ æternæ in hac præsentî vitæ, Definitionem Christus tradidit. Nam & inchoatio vitæ æternæ seu Beatitudo in hac vitæ, est Fide æternum & verum Deum, qui missit filium suum Dominum nostrum Jesum Christum pro nobis hominem factam. Crucifixum & resuscitatum, agnoscere, sicut se in verbo suo patefecit, & statuere nobis placatum & propitium esse propter filium mediatorem, & prælucente hac fide invocare Deum, eique obedire & tranquillo ac læto corde in omnibus ærumnis consolationem, auxilium, salutarem exitum, & gloriam æternam expectare. Hæc lux veræ agnitionis DEI, seu pietatis in corde accensa, & consolatio ac lætitia in DEO, nobis propter Christum propitio acquiescens, inchoatio & gustus est vitæ æternæ.*

LXIV. Quod speciatim attinet ad prægustum beatitudinis ex parte intellectus spectandum, adeoque quatenus importat COGNITIONEM rerum supernaturalium, solet huc referri, quod *Cyrilus Alex.* in Joh. Cap. XVII. vers. 3. libr. XI. Comment. Cap. XVI. scriptum reliquit: *Cognitio vitæ est: quia totam mysterii virtutum parturit, & mysticæ benedictionis affert participationem, per quam vivifico verbo conjungimur. Et paulo post: Cognitio igitur vitæ est, spiritualem nobis benedictionem adducens: per quam Spiritus in cordibus nostris habitat, in adoptionem filiorum Dei & veram pietatem per evangelicam vitam & incorruptibilitatem reformans. Cum igitur origo & quasi pronuba omnium bonorum dictorum, cognitio Dei veri esse inveniatur: recte a Domino nostro Jesu Christo vitæ æternæ appellata, quasi mater & radix virtute naturæque suæ vitam æternam pariens. Conf. B. Gerb. L. de Vita Æt. C. I. § 17. pag. m. 719. qui etiam in Harm. Cap. CLXXX.*